

sustentationem suppeditant, dispendia patiantur. Quocirca cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei avaritiæ pravitatem, editas antehac sanctiones minime satis esse intelligimus, novæ Constitutionis subsidio cogimur providere. Cum itaque alias ex plurium Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligeretur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad professionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canonicatum, aut Præbendam, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur, Turnorum lucra, interponerentur, licet Sancta Synodus hæc detestata, mandaverit Episcopis, ut quæcumque hujusmodi, quæ in usus pios non converterentur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus super prædictis cognoscerent, et illis tantum, quas probarent, exceptis, reliquas ut pravas et scandalosas rejicerent; eos vero, qui adversus prædicta quavis ratione commisissent, pœnis contra Simoniacos editi teneri decreverit. Multorum tamen indomita cupiditate tam prædicta, quam alia ad Beneficium et commodum ipsorum Ministrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur. Quare Nos pro Divini cultus exercitio, simulque evocatorum ad illum auxilio plenius, evidentiusque consulendum fore rati, revocamus, et abolemus omnia, et quæcumque privilegia, consuetudines, et statuta quarumcumque Ecclesiarum Cathedralium, et Metropolitanarum, ac majorum, nec non Collegiatarum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, aut alio quovis presidio munita, ac etiam supra hominum memoria, et longissimo, et quantumque tempore etiam continuo observata, sive pro solvendis Ecclesiarum, vel Prælatorum debitis, sive pro supportandis illorum oneribus, sive aliis etiam majoribus, maximis, et urgentissimis causis concessa, et approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa, et moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis, portionibus, Beneficiis, et Officiis, fructus, ac etiam quotidianæ distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno, aut longiore, vel etiam breviori tempore proventuri, mensæ Episcopali, seu Capitulari, aliove loco integre, vel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes usus cedant, se inter alios Canonicos, et personas Ecclesiæ, seu Capituli dividantur. Quandoque nullus etiam Apostolica auctoritate provisos in Canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, Beneficium, vel Officium admitti, vel alias in ejus possessionem induci possit, nisi prius

de observandis hujusmodi privilegiis, consuetudinibus, et statutis juramentum præstiterit, et obtentæ illorum derogationis, ac fructuum, et distributionum perceptioni renuntiaverit, seu Capitulo, et personis prædictis cesserit, seu (ut appellant) Dulciaria, aut quid aliud præstiterit; quorum omnium tenores, causas, et effectus habemus præsentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, nec non irritantibus, et aliis Decretis roborata, volentes ea omnia vires, et effectum de cætero non habere. Præcipimus igitur, et interdiciamus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegiis, et personis, ad quos id pertinet, ne posthac fructus, aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem, vel renuntiationem, aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant, vel exigant, aut quemquam sive ordinaria, sive Apostolica auctoritate provisos, ad præstandum hujusmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediunt, vel remorentur. Quicumque contrafecerit, si Ecclesiarum Antistites, tamdiu a Pontificali Officii exercitio sint suspensi, donec satisfactione prævia illis per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur. Capitula vero, et Collegia quæcumque Ecclesiastico subiaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, a qua, nisi in mortis articulo constitutæ ab alio, quam a Romano Pontifice, absolutionis beneficium nequeant obtinere, decernentes hujusmodi præstita juramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimo jurantes in hujusmodi censuram incidere, nec non irritum, et inane quidquid secus super his per quoscumque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus statuimus, ut ubicumque hujusmodi fructus, et distributiones Fabricæ, vel Sacristiæ aut alterius pii loci usibus ultra semestres tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi Sacristiæ, vel Fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero Beneficiati prædicti integre percipiant. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica Sede sit indultum, quod interdicti, suspensi, aut excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, decreto prædictæ Synodi, ac etiam Constitutione fel. rec. Joannis Papæ XXII, quæ incipit: *Suscepti*, et aliis Juribus hac de re disponentibus, nihilominus alias in suo robore duraturis. Cæterum per prædicta non intendimus illis præjudicare Capitulis, Collegiis, Mensis, aut personis fructus, et distributiones inter vacationem Beneficiorum, et eorum collationem, sive possessionis apprehensionem provenientes ex statuto, consuetudine, vel privilegio hujusmodi percipientibus, vel retinentibus; quominus ipsi illos interim, ut antea, exigere valeant, et habere. Postremo volumus

ut præsentium exempla etiam impressa, Notarii publici manu, et Prælati Ecclesiastici ejusve Curie Sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem ubique locorum in Judicio, et extra illud faciant, quam facerent ipsæmet præsentibus si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, abolitionis, præcepti, interdicti, decreti, statuti, intentionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimo, Pridie Kal. Junii, Pontificatus Nostri Anno quinto.

§ 5. Cum autem, sicut non sine gravi animi nostri dolore, ex quamplurium, ac præsertim nonnullorum Venerab. Fratrum Archiepiscoporum ad Apostolatum nostrum delatis querelis accepimus, adeo decreverit tam salutarium legum transgressorum impudentia, ut non desint, qui sive avaritiæ, quæ est idolorum servitus, improbo affectu, sive ambizioso Ecclesiasticorum graduum cupiditatis consilio ducti, hominibus trepide paciscentibus fidem habentes, et tamen Deo veraciter promittenti minime credentes, sacras ipsas electiones, quas Sanctissimi Ecclesiæ Canones omni prava pactione submota peragi tam districte præcipiunt, illicitis, injustis, ac per tot Apostolicas sanctiones reprobatis conventionibus per Electos, quicumque illi sint, observandis, quibus Canonica Præsulum jurisdictio ut plurimum circumseribitur, vacantium Ecclesiarum jura læduntur, ac ipsius etiam Apost. Sedis auctoritas interdum violatur temere inquinare satagant, atque abominationem desolationis in Sanctuarium invehere, sacrasque Ecclesiæ Dignitates, ad quas olim nonnisi ex persecutionis tolerantia ascendebar, in turpem quæstum, ac tenebrarum negotiationem commutare minime vereantur, non sine gravissima Ecclesiasticæ disciplinæ perturbatione, fideliū scandalō, ac salutis animarum detrimento.

§ 6. Hinc est, quod Nos, qui libertatis jurisdictionis, aliorumque jurium Ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque Christi fidelium curam superna dispositione gerimus, abusus quoscumque circa præmissa introductos e medio tollere, illisque in futurum omnem ansam præcidere, nec non animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, habita super iisdem præmissis cum particulari Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum, qui rem mature discussurunt, diligenti deliberatione, de illorum consilio pariter et assensu, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, et singula præmissa a præfatis Nicolao, Pio, et Gregorio Prædecessoribus

ribus constituta, ordinata interdicta, decreta, et respective declarata, ut præfertur, expeditasque desuper illorum Constitutiones, seu litteras supradictas tenore præsentium perpetuo approbamus, confirmamus, et innovamus, illisque perpetuæ, atque irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, patrocinium, et præsidium adjicimus.

§ 7. Præterea, ut eadem præmissa firmitus, atque inviolabiliter de cætero observentur, ultra omnes, et singulas pœnas in iisdem Constitutionibus, seu litteris impositas privationis Dignitatum Canonicatum, et Præbendarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, et quoad Regulares, etiam vocis activæ, et passivæ, ac graduum, munerum, et officiorum quorumcumque per eos respective obtentorum, perpetuæque inhabilitatis, ad illa, et alia similia, vel dissimilia, quæcumque in posterum quomodolibet obtinenda, pœnas per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione, incurrendas adjungimus.

§ 8. Porro ad penitus extirpandum, atque evellendum abusum capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum, seu statutorum quorumcumque, quæ perperam, ac adversus Sacrorum Canonum, et Constitutionum Apostolicarum dispositionem, occurrente Ecclesiarum quarumlibet præsertim Cathedralium, et Metropolitanarum, seu Monasteriorum quorumvis vacatione, ab iis, ad quos electio personarum idonearum ipsis Ecclesiis, seu Monasteriis ad electionem hujusmodi respective præficiendarum juxta privilegia, et indulta Apostolica eis desuper concessa, aut alias legitime spectat, sive ante, sive post electionem prædictam interdum iniiri, condi, aut fieri consueverunt, motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore præsentium omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quomodocumque spectabit, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis fuerint, sub eisdem omnino pœnis superius expressis, quarum absolutionem, seu relaxationem Nobis, ac Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus, districte prohibemus, et interdiciamus, ne capitulationes, pactiones, conventiones, concordata, seu statuta hujusmodi ante ipsam quidem electionem, seu etiam postulationem de cætero iniiri, concedere, aut facere audeant quovis modo, seu præsumant.

§ 9. Illaque proinde, quatenus de facto contra præsentis nostræ prohibitionis formam inita, condita, seu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribusque et effectu penitus et omnino vacua, ac nullius roboris et momenti esse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, aut obligatum existere, vel fore decernimus et declaramus.

§ 10. Quæ vero, electione, seu postulatione hujusmodi secuta, quomodolibet iniiri, condi, seu fieri contigerit, ad Nos, seu eum;



dem Romanum Pontificem pro tempore existentem quamprimum deferri, atque ita nostro, et Sedis Apostolicæ judicio subijci præcipimus, suspensa interim eorum omnium et singulorum executione, donec, et quousque ab eadem Sede, sine cuius auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, Apostolicæ confirmationis robur in totum, vel in partem receperint.

§ 11. Cæterum per præsentibus non intendimus ea, quæ antehac contra supradictarum Nicolai, Pii, et Gregorii Prædecessorum, seu forsan aliarum Apostolicarum Constitutionum, seu litterarum formam quomodolibet gesta fuerunt, ullatenus approbare, nec pœnas ea de causa per transgressores incursas remittere, vel condonare.

§ 12. Decernentes pariter easdem præsentibus litteras, etc.

§ 13. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, etc.

§ 14. Aut si præfatis, vel aliis quibuscumque communiter, etc.

§ 15. Ut eadem præsentibus litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, etc.

§ 16. Utque ipsarum præsentium Litterarum transumptis, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 22 Septembris 1695, Pontificatus anno V.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(27. Disposuit Gregorius X, in cap. *Ut circa, de Elect.* in 6, ut appellantes ab electione jurent se credere vera esse quæ opponunt, ut innuit Auctor num. 2. Verum sciendum est, quod ex Doctorum sententia tunc appellantes ab electione tenentur juxta hanc sanctionem jurare vera se credere, quæ opponunt, quum appellant ab electione *certaine alicujus personæ*, non item quando ab electione in genere appellant. (28. Ita Decretalem hanc interpretantur Glossa ibidem, verb. *Faciendo*, et rursus in cap. *Qui contra*, verb. *Certam*, eodem tit. *de Election.* in 6. Pirhing, in *Decretal.* lib. 1, tit. 6, num. 284. Passerin., *de Elect.*, cap. 33, numer. 55. Leuren., *For. Benefic.*, part. 2, sect. 2, cap. 3, § 5, q. 508, numer. 2, alique. (29. Quinimmo in ipsa appellatione ab electione *certaine personæ* debent appellantes jurare vera esse quæ opponunt, si crimina vel defectus contra electum vel electionem opponant, idque prudenti consilio, ne crimine temere opponantur, non item si nihil tale opponant, quum cesset præfatum inconveniens; Lupus, in dict. cap. *Ut circa*, numer. 3, *de Elect.*, in 6. Vanaxel., in *Decretal.*, lib. 1, tit. 6, numer. 18. egregie Passerin., *de Election.*, cap. 32, nu. 69. Leuren., *For. Benefic.*, part. 2, sect. 2, cap. 3, § 5, quæst. 509, numer. 2. Rot., in novis decis. 36, per totum *de Appellat.*

(30. Quod eo vel maxime procedit, si Appellantes causæ innitantur, quæ principaliter jus proprium respiciat, adeoque nonnisi

(1) Illud ipsum quod notat Rom. Theologus in Nota Artic. III, subjecta jam ego tradideram in verb.

indirecte impugnent jus electi, Barbo., in cap. *Ut circa*, num. 3, *de Election.*, in 6. Vanaxel., in *Decretal.*, lib. 1, tit. 6, nu. 18. Passerin., *de Election.*, cap. 32, num. 68. Rot., in novis dict. decis. 36, n. 2.

(31. Pœna vero Appellantis ab electione, qui jurare omisit ad formam dict. cap. *Ut circa*, non est quod appellatio nullius sit momenti, sed quod Appellans non audiatur in non expressis in libello appellationis; Lupus, in d. c. *Ut circa*, n. 4, *de Elect.*, in 6. ubique, Geminian., n. 4. Franc., n. 2. Passerin., *de Elect.*, c. 33, n. 69. Leuren., *For. Benefic.*, p. 2, sect. 2, c. 3, § 5, q. 509, n. 2.

(32. Hic autem non est omittendum, quod agitata novissime fuit in Rota quæstio hæc de appellatione ab electione, non præstito ab Appellantibus juramento, quod vera credebant, quæ opponebant. Licetque ad sustinendam dictam appellationem deducta fuissent quæ hactenus ex Doctorum sententia fuerunt allata, nihilo tamen minus placuit supremo illi Tribunali nullo in numero habere ipsam appellationem, ut patet ex decisionibus in Colonien. Decanatus 4 Julii 1755, § 9, et 14 Maii 1756, § 8, cor. bo. m. Borull.

#### ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(33. Animadvertite, an. 1727, in Congregatione rebus Consistorialibus præposita duò fuisse proposita dubia. 1. An hæc Innocentii XII constitutio ea etiam afficeret Capitula, seu Collegia, quæ ex viris, mulieribusque composita, et unius Abbatissæ, seu Præpositæ regimini subjecta sunt? (34. 2. An huic Constitutioni, quatenus pacta electionem præcedentia interdicit, et irritat, obnoxie essent quæcumque pactiones, sive conventiones, honestæ licet et justæ. Utrique dubio Congregatio respondit affirmative, Benedictus XIII 16 Augusti litteras Apostolicas expediri jussit, quibus Congregationis responsa confirmabantur. Id tamen sub eo Pontifice præstitum non fuit; sed quod tunc fuit prætermissum, implevit Benedictus XIV, 13 Julii 1774. Vide eundem Benedictum XIV, *de Synod. Dioces.* lib. 13, cap. 13, num. 23.

#### ARTICULUS IV.

*Electio, quomodo, quando, et ubi fieri possit et debeat ut sit canonica, præsertim inter regulares.*

(1. (1) Pro electione Canonica faciendâ, sunt in primis vocandi omnes, qui de Jure, aut legitima consuetudine habent Jus in ea suffragandi, et sunt in pacifica possessione eligendi; c. *Cum inter universas* 18, c. *Coram dilecto* 35, et c. *Quia propter* 42, *de Elect.*, et ibi Glossa communiter recepta in verb. *Qui debent*. (2. Alias etiamsi unus solus contemnatur, seu non vocetur, potest ipse agere de contemptu, et electionem irritare; quamvis enim non sit de substantia electionis, ut vocentur absentes, ut defen-

*Absens quoad Electionem*, num. 8 et 9. Vide *Id.* (Not. Rom. Theol.)

dunt Glossa in c. *Nulli* 8, *de Elect.*, in 6. Tabiena, verb. *Electio*, n. 19. Donatus, loc. cit. q. 18, n. 9. Fagnanus, in cit. cap. *Quia propter* 42, *de Elect.*, n. 38. Peyrin., *de Subdit.*, q. 1, c. 31, not. 1. Reiffenstuel, loc. cit. n. 115, et alii; est tamen per ipsos citatos et alios, de Justitia; adeoque licet electio non sit ipso Jure irrita, ad ipsius tamen contempti instantiam erit irritanda juxta c. *Quod sicut* 28, *de Elect.*, quia plus obsistit electioni contemptus unius, quam contradictio multorum, ut habetur in cap. *Venerabilem* 24, et cap. *Bona memoria* 36, *de Elect.* (3. Si vero vocalis contemptus velit pro bono pacis, vel alio fine rati habere electionem, et non contradicere, electio valide subsistit; c. *Quod sicut* 28, *de Elect.*, § 1, in fine. (4. Sic etiam electio valide subsistit, si vocalis contemptus, sciens electionem factam, et potens contradicere nihil opponit, quia in tali casu censetur tacite rati habere electionem, et juri suo renuntiare, adeo ut non sit postea amplius audiendus, ut docent Sperelli, decis. 181, n. 43. Passerin., *de Elect.*, c. 11, n. 119, et alii passim.

(5. Vocalibus vocatis, et in unum conventis, sunt ante electionem habendi tractatus consultorii, in quibus discutiuntur qualitates, habilitates, et merita eligendorum; c. *Cum terra* 13, *de Elect.*, ibi. « Personam nomen, quod si in persona fuerit peccatum, » etc. c. *Inter Canonicos*, 21, eod. tit., ibi: « In Capitulum se receperunt, de futura electione Pontificis tractaturi; » c. *In causis* 30, eod. tit., ibi: « Cum Capitulum Ecclesiæ ad tractandum de electione Episcopi convenisset; » c. *Cum in veteri lege* 52, eod. tit., ubi irritatur electio ob defectum debiti tractatus, ubi Glossa verb. *In tractatu* ait: « Hinc patet, quod tractatus debet haberi ante electionem et collationem ad invicem, alias quomodo eligerent, nisi primo de aliquo eligendo tractarent? » et cap. *In Genesi* 56, eod. tit., ubi electio declaratur irrita, ex quo tractatus debitus non fuit habitus, ibi: « Non tractatum, neque discussum. » Ex quibus textibus Donatus, loc. cit., q. 11, n. 2. Matthæucci, loc. cit., c. 18, n. 43, et alii deducunt electionem esse nullam, vel saltem annullandam, si ante eam non habeantur tractatus consultorii, per quos possint vocales dignoscere quinam sit dignior, ad cujus electionem sub mortali tenentur, ut fuit dictum sub nu. 13; art. anteced.

(6. Ante electionem tenentur vocales Reguli præstare juramentum de eligendo meliorem, seu digniorem secundum veritatem cujusque conscientiæ; habetur expresse in Decretis Clementis VII, editis pro reformatione Regularium tam Monachorum, quam Mendicantium ejusdemque Ordinis, et Instituti, § 53, ibi: « Jurentque Electores secundum veritatem cujusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros. » Quæ decreta fuerunt innovata, corroborata, et revalidata ab Urbano VIII, in decreto de Apostatis, et Ejectis, cum decreto irritante, et cum amplissimis derogatoriis, ut patet in § 42, in fin. et 13, ibi: « Nihilominus sit

irritum, et inane quicquid secus a quoquam actum extiterit, » et § 14, ibi: « Non obstantibus Constitutionibus quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium. » Ratione cujus decreti irritantis Tamburin. tom. 1, *de jure Abbat.* disp. 5, q. 6, n. 29. (7. Megala in *Promptuar.* verb. *Elect.*, num. 37, et alii dicunt, quod tale Juramentum est de conditionibus essentialibus electionis, et ejus ommissio reddit electionem nullam ipso facto. Quidquid sit de hoc circa electiones quæ fiunt in aliis Ordinibus propter posteriores Apostolicas dispositiones; quas forsan habuerint, crescit argumentum pro electionibus, quæ fiunt in ordine Minorum de Observantia, vigore Constitutionis Innocentii XI, incipient. *Militantis Ecclesiæ*, ubi præcipitur Electoribus sub pœna non suffragandi, quod præstent tale juramentum coram Venerabili Crucifixi imagine, præsentem Præsidentem, ibi: « Item, ut majori circumspectione electiones Prælatorum fiant, præcipitur electoribus sub pœna non suffragandi, ut antequam ad electionem Ministri, Custodes, Diffinitores, et Guardianorum procedant, sigillatim juramentum præstent coram Venerabili Crucifixi imagine, præsentem Præsidentem, se eum electuros in quolibet prædictorum officiorum respective, quem in conscientia, et omnibus æqua lance libratis, digniorem judicabunt. »

(8. Et hoc sub clausula decreti irritantis, ibi: « Decernentes easdem præsentibus litteras et statuta præinserta, semper et perpetuo firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari... ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, » etc. Vide in Chronologia P. Julii de Venetiis, in septuagesimo quinto Capitulo Generali, fol. 124, usque ad 146. (9. Et tale juramentum de eligendo digniore fuit ipsis iterum novissime præceptum sub clausula decreti irritantis a Benedicto XIII Constitut. incipient. *Universalis Ecclesiæ regimini*. Quæ Constitutio licet a Clemente XII, Constitut. incipient. *Circumspecta*, fuerit in aliquibus moderata, tamen quoad obligationem præstandi tale juramentum, remanet firma, et valida, immo confirmata; cum d. Clemens XII, in tali sua Constitutione, § *Hinc est*, expresse præcipiat exactam observantiam d. Constitutionis Benedicti XIII, ad formam statutorum, seu Constitutionum generalium ejusdem Ordinis, ibi: « Præinsertas Benedicti Prædecessoris litteras, ac in eis sancita, ordinata, et disposita quæcumque ad formam statutorum, seu Constitutionum generalium ejusdem Ordinis quo ad utramque illius familiam prædictam servari harum serie præcipimus, et mandamus. » Unde cum ex statutis conditis in septuagesimo quinto Capitulo Generali, confirmatis expresse ab Innocentio XI, in d. Constitution. incipientio